e-codices

Qui nunc primum te aduenisse dicaſ modo qui hinc abieris ·
Am Hec quidem deliramenta loquitur · paulisper mane
Dum edormiſcat unum ſonum que ne uigilanſ ſomniet
Alc Aequidem ecaſtor uigilo · et uigilanſ id quod factum fabulor
Nam dudum ante lucem et iſtunc et te uidi Am quo in loco
Alc Hic in edibuſ ubi hitas · Am Nusquam factum eſt · So non taces ·
Quid ſi e portu nauiſ huc nos dormientes detulit ·
Am Etiam tu quoque aſſentariſ huic · So quid uiſ fieri ·
Non tu ſcis Bacche Bacchanti ſi uelis aduorſarier
Ex inſana inſaniorem fieri ſepius · ſi obſequariſ una reſoluas plaga
Am At pol quin certa reſ hanc eſt adiurgare que me hodie
Aduenientem domum noluerit ſalutare · So irritabis
Scabrones · Am alcmena unum rogare te uolo
Alc Quiſ viſ rogare roga · Am nunc tibi aut ſtultitia acceſſit
Aut ſuperat ſuperbia · Alc quid · iſtuc in mente eſt tibi mi uir percontarier
Am Quia ſi ſalutare aduenientem me ſolebas ante hac
Appellare itidem ut pudice ſuos uiros que ſunt ſolent
Eo more expertem te factam adueniens offendi domi ·
Alc Ecaſtor equidem te certo heri aduenientem illico
Et ſalutaui & valuiſſes ne uſque exquiſivi ſimul ·
Mi uir et manum prehendi et oſculum te tuli tibi ·
So Tun heri hunc ſalutauiſti · Alc te quoque et ſoſia
So Amphitrio ſperaui ego iſtam tibi parituram filium
Verum non eſt puero grauida · Am quid igitur eſt · So inſana
Alc Equidem ſana ſum & deos queſo ut ſalua pariam filium
Verum tu magnum malum habebiſ ſi hic officium ſuum facit
Ob iſtuc a me ominator capieſ quod te condecet
So Enimuero pregnanti oportuit & malum dari
Ut quod obrodat ſit animo ſi male eſſe occoeperit
·: Ob iſtuc a me ominator capies quod te condecet
Enimuero pregnanti oportuit & malum dari
Ut quod obrodat ſit animo ſi male eſſe occoeperit ·:
Am Tun me heri hic uidiſti · Alc ego inquam ſi uis decies dicier
Am In ſomniſ fortaſſe · Alc immo uigilans vigilantem · Am ve mihi miſero
So Quid tibi eſt · Am delerat vxor · So atrabili percita eſt
Nulla reſ tam delirantis homineſ concinat cito

·: vbi primum ·:

License: CC-BY-NC – Cologny, Fondation Martin Bodmer, Cod. Bodmer 138, f. 10v – Plautus, Comedies (http://www.e-codices.ch/en/fmb/cb-0138/10v)